


EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Da. 14. 6



ORATIO
DE SYMPATHIA
ET ANTIPATHIA
rerum in natura.

RECITATA A VERO
RO CLARISS: DOCTO-
RE CASPARO PEVCE-
RO Decano ac Promotore, cum
decerneretur gradus Doctoris
in arte Medica viris
eximijs:

M. SALOMONI ALBERTO
NORIBERGENSE.


M. IOHANNI LEHMAN
ILEBERGENSE.

HIERONYMO DRACHSTET
HALLENSI.

M. CASPARO CONNER-
DINGO.

M. GREGORIO HEILAND
CICENSI.

WITEBERG Æ 1574.



TIBI AETERNE, VE-
rissime, omnipotens,
viue Deus, Pater æterne
Domini nostri Iesu Christi, con-
ditor cœli & terræ, & generis hu-
mani, cum filio coæterno IESU
CHRISTO, qui est λόγος & coæ-
terna καὶ ὁμοῦσιος imago tua, &
Spiritu sancto paraclete, sapiens,
bone, verax, iuste, misericors,
caste, liberrime, iudex et vindex,
καρδιογνώσα: Tibi ergo gratias ago
ardenti motu intimi pectoris
mei, quantas maximas capere
potest imbecillitas humana, cū
de alijs innumeris ab inexhausta
bonitate ac misericordia tua
profectis beneficijs, tum de his
inprimis, quòd in hac Acade-
mia lucem Euangelij tot seculo-

A 2 rum

rum densissimis tenebris penè
obrutam atq; oppressam, per &
propter filium Iesum Christum
immensa benignitate hoc po-
stremo rerū ad finem ruinamq;
properantium articulo rursus
accendisti, ac longè lateq; sparsi-
sti, cuius fulgor detectum regnū
tenebrarum labefactavit aut dis-
sipavit: cuius potentia inuictam
& inexpugnabilem tot seculis
idololatriæ ac superstitionis ty-
rannidem à ceruicibus & con-
scientijs miserorum hominum
depulit. Deinde quòd ex hac i-
psa Schola, hac luce tua præuia
velut ex Metropoli colonijs du-
ctis, aut velut è seminario propa-
gatis plantarijs in regna diuersa,
pias Ecclesias passim condidisti,
&

& ipsam Academiam quòd admirandis modis tutatus es, sæpe è medijs & circumfusis undiq; periculis liberatam. Denique quòd & me nasci ciuem, & verum ac viuum membrum Ecclesiae, Spiritus sancti organum, & vas misericordiae voluisti, & rectè te agnoscere atq; inuocare docuisti, & constitutum in hac ipsa Schola honesto loco, opeq; tua instructum rexisti, ne aut irri- riti essent conatus mei, aut steriles atq; infructuosi suscepti à me peractiq; labores, aut, ut multorum sunt & fuerunt, etiam perniciosi: Quòd ex multiplicibus me difficultatibus eripuisti.

Hæc inenarrabilia omnipo- tentiae opera & illustria præsen-

A 3 tia

tia ac misericordiae tuae testimo-
nia, mente agnosco & voce pra-
dico gratissima, ac cum sancto
Patriarcha Iacob fateor & fate-
bor, minore me esse cunctis his
miserationibus tuis. Sed miseri-
cordia tua Domine fui & sum
quod sum. Hanc implorans su-
spirijs & gemitibus non fictis,
commendo tibi Ecclesiam tu-
am, doctrinae à filio tuo nobis
traditae obsignataeque; morte ipsi-
us ac resurrectione veritatem, po-
litias harum regionum, Acade-
miam matrem atque custodem
piorum & necessariorum studi-
orum, & me totumque vitae &
vocationis meae cursum, in cu-
ris & pulueribus huius Scholae
consumptum, ac de hoc quod
super-

superest. Teq; oro ardenti pectore, ne finas obscurari aut deleri apud nos lucem veræ doctrinæ, aut interire necessaria Ecclesiæ studia: néue dissipari finas aut deuastrari Ecclesias aut politias bene constitutas. Complectere paterna cura Academiam, & sanctifica eam, ut perseverans in iisdem vestigijs veritatis, diu floreat beata uberrimo utilium laborum fructu, nec desinat esse seminarium Ecclesiæ tuæ ad posteritatem. Discute & amolire pericula bellorum, contagiorũ, famis: Et me, quem bis uno anno propemodum de morte in vitam reuocatum, voluisti esse superstitem, præter multorum spem & opinionem, sed diutur-

nis tamen exhaustum ac fra-
ctum, peneq; confectum mor-
bis, robora & confirma viribus
ingenij & corporis, ut quod reli-
quum est de circumscripto mi-
hi diuinitus curriculo, quod
prospicio sentioq; exiguum fore
ac breue: Neq; enim procul ab-
sum à præfixa meta: Vt illud er-
go & feliciter ac nusquam la-
bascente conatu successuq; de-
curram, & consummem præcla-
rè, retinens fidem & bonam
conscientiam, & tandem ut me-
ta apprehensa consequar ἡμῶν ἀμα-
σίτητον καὶ ἀφθαρτον τῆς δικαιοσύνης καὶ
τῆς δόξης σέφανον immarcescibilem
nec ullis unquam interituram
seculis iusticiæ & gloriæ coro-
nam, quam in illo die reddes
mihi

mihi iustus iudex cum omni-
bus qui ad eandem metam pio
cursu contenderunt, et illustrem
Domini nostri Iesu Christi ad-
uentum expetiuerunt. Non dis-
cedas à me Domine, nec desti-
tuas me senescentem præsidio
& fulcro Spiritus tui sancti, sed
affla & suffice vires, sustenta me,
ne languefactus ætate, morbis,
curis, laboribus, calamitatibus,
aut casibus aduersis deficiam,
aut fiam ἐτώσιον ἄχθου ἀρούρης, ne
frangantur spes meæ, sed ut ple-
nus fiducia auxiliij tui, faciam
operas tibi gratas, & salutare
mihi & alijs.

Ab hac gratiarum actione
cum pijs votis coniuncta, quod
exordior orationem hoc loco,

A 5 in

in quem me rediturum esse unquam, vix sperare quisquã poterat, si quis forte reprehenderit, is sciat debere me hanc publicam sempiternæ gratitudinis testificationem Deo liberatori Θ σωτήρι meo coram Ecclesia, quæ assiduis me precibus fideliter adiuuit, & salutem meam atq; incolumitatem sollicita intercessione unâ mecum Deo commendavit, cui secundas post Deum, & debere me profiteor, & ago gratias, agamque dum viuam. Nam relaturum me affirmare non possum aliter, quàm ut precibus mutuis respondeam.

A votis venio ad alteram partem orationis, quam ut consuetudini Scholæ obsequar, institu-

stitutam de vestigijs admirandæ
sapientiæ & potentia Dei opifi-
cis expressis in Sympathia et An-
tipathia rerum, quæ cum stupo-
re spectarunt omnium ætatum
Philosophi: veris rationibus &
causis explicarunt nulli. Nec ul-
la naturæ pars abstrusior est aut
obscurior, in quam minus pe-
netrare perspiciendo acies men-
tis humanæ possit. Constat e-
nim tenuissimis etiam & abie-
ctissimis rebus latere inclusam
vim aliquam mirificam, quæ
quidē effectionibus admirandis
originem è cœlo suam, & Deum
θεομυστηριον euidenter demonstrat,
seipsam tamen & ideam ac na-
turam suam vix aliter aperit aut
prodit, quàm ex effectionibus
animad-

animaduerso opere ac fructu.

Quid contemptius aut lumbricis terrestribus aut asellis, seu millipedis, quæ stabulantur sub hydrijs aut cimicibus? At lumbrici tamen, & aselli validè reseratis effractisq; obstructionibus iocinoris, & renum, ictericis auxiliantur & hydropicis: cimices quartanas pellunt, & vino potæ adhærentes hyrudines abigunt.

Plena exemplorum est tota rerum natura, quæ se offerunt & ingerunt oculis & animis intentis, quo se cunq; facies conuertit, seu cœlum aspiciat, seu in terram deflectat oculos, seu flumina & maria expiscetur, seu rimetur & scrutetur abdita terræ.

Nec

Nec hoc argumentum ideo
prætuli cæteris, quod me confi-
dam de eo explicatius aliquid,
aut melius proferre ijs posse, qui
ante me in eodem & elabora-
runt accuratè, & præclarum
quid nauarunt atque effece-
runt, sed potius ut in re plena
numinis, plena maiestatis diui-
næ, in qua eruenda vis mentis
humanæ hebescit ac deficit, de-
ducam & assuefaciam adoles-
centes ad considerandam cum
admiratione ac veneratione sa-
pientiam omnipotentis archi-
tecti, & ad agnoscendam hebe-
tudinem mentis humanæ cali-
gantis ad contuitum naturæ, ve-
lut noctuæ cæcutiunt in luce
meridiana. Etsi perspici & per-
uesti-

uestigari cause mirabilium ope-
rum diuinorum penitus neque-
unt in hac caligine, sed discemus
illam sapientiam in Ecclesia cœ-
lesti docente filio Dei, perfusi lu-
ce ipsius pura, integra & incor-
rupta: tamen quo est excitatio-
mens humana, generosior & a-
crior, eò maiore impetu vel ad
hoc ipsum rapitur perquirendū,
quod expositum nobis est &
obuium, idq; cum per se amat,
tum etiam propter usum: & ali-
tur reficiturque studio illo cum
mirifica quadam sui oblectati-
one: & quando repressa difficul-
tate aut obscuritate infistit im-
plicaturque ita, ne euoluere sese
aut extricare possit, quasi conui-
cta sue imbecillitatis, cedit Deo,
&

& huic soli tribuit sapientiæ
laudem. Nec habet ulla confi-
deratio plus iucunditatis, præ-
fertim ubi cum vi & efficacia
diuinitatis plena, coniuncta est
euidens & insignis utilitas, ut in
admiranda varietate remedio-
rum. Sed exempla Sympathiæ
& Antipathiæ referemus initio,
postea & fontes atq; causas mō-
straturi.

Ac primum si totum mun-
di systema : si concinnè distri-
butorum corporum ordinem
connexumq; ac coagmentatio-
nem : si nulla in parte hiantem
aut fathiscentem compagem : si
è cœlo perenni defluxu manan-
tem in terrena vim, ac elementis
se se miscentem coalituq; miran-
do

do ceu innectentem : si denique
ex elementis concreta, & cœlesti
imbuta lumine, ac temperata
virtute, & statis legibus inter se
coaptata, & amicitias inter se
exercitia aut inimicitias fœde-
re dissidioue admirando specta-
bimus corpora inferiora, rerum
naturam uno cōsensu iunctam
esse atq; continentem, etsi illius
cognitionis & quasi concentus
causas non protinus conspica-
mur, & cœli motu inferiorumq;
conceptu generari atq; edi ele-
mentaria fatebimur.

Collustratur lumine cœle-
sti totus orbis Elementaris, per
se aut obscurus *καὶ ἀδιόπτως*, ut ter-
rena sunt omnia, aut lumini
quidem peruius, sed tamē illius
sua

sua natura expers, ut quæ sunt
διαφανῆ & pellucida, ignis, aer, &
aqua, quæq; ex his conflata sunt,
aut ex terrena etiam aliqua par-
te, sed modica, multoq; aëreo
& aqueo perspicuo diluta.

Hoc cœlesti lumine, nō tan-
tum ut vulgus iudicat, cogite-
mus fugari ac depelli tenebras,
sed alia inest ei vis maior longè
ac diuiniior, qua elementaria o-
mnia tam simplicia quã com-
posita, afficit mirificè, temperat,
miscet inter se ac subigit, suba-
cta connectit, coagmentat, con-
tinet. Non putemus enim illam
qua reguntur ac sustentur ele-
mentaria vim, ex elementorum
tantùm concretionem conflata
esse ac propagatam, aut ipsa sese

B ele-

elementa inter se mutuo, con-
traria vi ac repugnante ita ceu
hebetare atq; obtundere, ut qua-
si defatigata ac repressa conten-
tione longa, de effreni & indo-
mita vi remittendo aliquid, mi-
tescant, ac tandem amico com-
plexu coalituq; in unum corpus
coëant. Neutiquam hanc tam
stabilem, & in multa secula per-
durantem amicitiam sola parit
vehementia inimici aduersique
certaminis, Sed est alia superior
vis è cœlesti profecta lumine,
que certamen hoc gubernat atq;
moderatur, & domitis fractisq;
atq; ad concordiam redactis im-
ponit ac præficit ceu custodem
nexus illius atq; coalitus, accen-
sum nimirum in tota illa massa
æthe-

æthereum, diuinum et lucidum spiritum, qui ceu flamma in e-lychnio, præcipua pars concreti ex elementis corporis, vires illius uniuersas ciet, acuit, vegetat, moderatur & perficit. Ardet enim lucetque in omni corpore composito æthereus quidam & lucidus spiritus, quod in viuentium corporibus ipsi illi spiritus demonstrant, & in homine maximè vitales et animales, quibus qui insunt partibus respondent: in alijs corporibus ubi igne concepto exarserunt, erumpentis flammæ lumen splendor que conuincunt.

Flammam conspicamur esse fumum ardentem, quem calor vehemens ex inflammabili cor-

B 2 pore

pore attenuato exprimit atque educit, non simplicem sed compositum, quale scilicet est subiectum è quo elicitur. Hic si ad flammam concipiendã & alendam sit idoneus, non prius tamen efflagrat, quàm calor vincens dissoluat mixtionem, & pellucidas partes ex opacis terreis quasi explicet, quod ubi fit, medium flammæ opacæ partes obtinent, eis pellucidæ circumfunduntur, per has enitescit & effulget splendor lucidus, qui repente & cum impetu quodam eoq; momentaneo, fumo perrupto ac disploso, profilit ac diffunditur. Is ergo splendor unde emergit? A cœlestine lumine Solis subitò accenditur, an verò ex
eo

eo nascitur ac deriuatur corpo-
re, de quo fumus exilit? Cœle-
stem esse fateri cogimur. Sola e-
nim cœlestia luce, non aliunde
petita vel hausta, sed insita luce-
re conspicamur. Sed momenta-
neo insultu eius luminis flam-
mam collustrari in fumo atro
propemodum atque caligante,
tunc cùm exardescit, rationi
planè non videtur consentane-
um. Prius ergo lumen illud cor-
pori inest, impressum cœlitus
cùm formaretur, & tenui puro-
que spiritu vehitur, qui diuulsis
ac separatis mixti partibus dissi-
milibus, obscuris & pellucidis,
quasi vi effractis carceribus, qui-
bus cohercetur, cum impetu
quodam effertur. Hic lucidus

B 3 spiri-

spiritus, ut dixi, & in omnibus
est inferioribus naturis & æthe-
reæ lucis est particula, & corpo-
ra nostra cœlo cognata efficit
atq; copulat.

Ex hac cognatione cum cœ-
lo, admiranda illa est inter se
consensio ac ceu conspiratio E-
lementariorū ac cœlestium, quā
in se quisq; experitur. Nemo nō
est qui in se ipso non sentiat &
Solis lumen & variationem aë-
ris à cœli sideribus. Viget ani-
mus alacritate quadam incita-
tus cœli moderatione. Recrean-
tur corpora, & spiritus quasi se-
renantur exortu Solis, decubitu
eiusdem illa torpescunt, hi ob-
tenebrantur. Commutatione
temporum quadripartita tem-
peran-

perantur naturæ. Accessu Solis
vegetantur vires velut excitatæ è
veterno. Discessu eiusdem, velut
discedentibus ad miniculis elan-
guescunt. Effundimur in repen-
tina gaudia, exilimus, gestimus,
rursus conturbamur, deijcitur
animis, mœremus. Sunt & sen-
sus cogitationesq; acriores, aut
hebetiores segnioresq;, uno ma-
gis quàm alio tempore, non ex
ulla causa obuia aut nota, sed
ut vis illa ætherea in corporibus
nostris à cœlesti lumine incita-
tur aut retunditur.

Omnino fateamur necesse
est, inferiora vim aliam & ab e-
lementari diuersam haurire ex
concurso luminis virtutisque æ-
theræ. Hinc illæ in plantis, ut

B 4 Helio-

Heliotropio, Ornithogalo, Ci-
chorio, Tragopogo, ad Solis cir-
cumactus conuersiones. Hac cū
cœlo cognatione lingula Sciote-
rici aut pixidis nauigatoria Ma-
gnete illita in Septentrionem
nutu sese perpetuo quocunque
depellatur, reflectit ac dirigit, ea
lege, ut cum meridiana linea
nusquam congruat, nisi ad illas
insulas, quas Astoras vocant: Ex-
tra illas semper distat ac discre-
pat, sic ut nobis à fortunatis In-
sulis ad Catygaram usq; recedat
à linea meridiana dextrorsum,
augescente gradatim interuallo
usque ad nouem graduum di-
stantiam, Illinc sinistrorsum
pari ratione tantundem decli-
net. Conuertit ergo ad se cœli
pars Borea vibratu luminis vir-
tutisq;

tutisq; cognatam Magnetis naturam, cum nihil rapacius sit, quam sui similis unumquodq;.

Sed ad propiora & oculis obuia veniamus. Feruntur & magno impetu contendunt elementa sedibus depulsa suis ad destinata singulis ac circumscripta diuinitus spacia, intraq; suas sese metas continent, ita tamen ut & locum mutant, & contra leges nature quoties opus est, grauia enitantur sursum, leuia per præcepta deorsum agantur, uno mox è vestigio subeunte ac succedente in locum alterius, & cedant solida raris, rara solidis, ne admirabilis illa continuatio seriesq; rerum, & coniunctio nature omni ex parte

B5 co-

cohærentis, quæ tanta est, ut alia
res ex alia nexa, & omnes inter se
aptæ colligatæq; videantur, ne
illa ergo intercedente hiatu aut
vacuo fathiscat & inrerrumpatur,
neue sese coalitu mutuo cor
pora perimât. Idem obseruatur
in ijs omnibus quæ ex elementis
procreantur.

Illustriora sunt exempla plâ-
tarum, animantium, hominû
ipsorum, imo & fossilium. E-
lephas concitatus & furens con-
specto ariete mitescit, & subru-
mi suis grunnitum horret. Leo
ad galli cantû expauescit. Tau-
rus quantumuis ferox ad ficum
arborem alligatus, exuit feroci-
am, ac velut cicuratus mansues-
cit. Pullus gallinaceus vix exclu-
sus ouo, nec equum nec Ele-
phan-

phantem reformidat, Miluum
aut accipitrem procul visum tre-
pidè refugit. Echeneis piscis par-
uus nauigia in medio concita-
toq; cursu, contra rapidissimos
impetus procellosi maris reprimi
ac remoratur. Lupi ab ag-
nis cum natura dissideant, adeo
ut lupinis tympanis pulsatis ag-
mina rumpantur, & vestes vel
ex lana admorsarum ouium de-
textæ vel confectæ ex pellibus
ingentia gignant agmina pedi-
culorum immedicabili prouen-
tu, carnes tamen earundem te-
nerescunt & fiunt gratiores ac
suauiores: Equi si luporum ve-
stigia calcent, obtorpescunt, &
totis cruribus conuelluntur. A-
quilarum pennæ deuorant pen-
nas

nas aliarum auium. Vipera fagi
furculo contacta obstupescit.
Catablepha animal hominem
ad mille passus conspectum in-
terimit. Inter brassicam & ru-
tam itemq; inter brassicam et vi-
tem, inter oleam & quercum,
odia sunt pernicialia, adeo ut
iuxta confitæ se mutuo iugu-
lent. Cupressus, picea, pinus, ali-
eni foetus infitionem non alunt.
Magnes ferrum attrahit, repellit
Theamedes. Sed rursus abigit
ferrum Magnes allio confrica-
tus, nec trahendi vim recuperat,
nisi hircino prolutus sanguine.
Adamas festucas & paleas allicit
ad se. Idem facit succinum, sed
ocimum respuit. Adamas fer-
rum contemnit, hircino sangui-
ne

ne verò aut plumbo emollitur.
Astroites lapis aceto impositus
gyratur in orbem. Lapis quem
coluber aquaticus cauda suspē-
sus euomit, aquam hydropico-
rum absument. Sputum homi-
nis ieiuni extinguit argentum
viuum. Halitus oris fucum de-
tegit. Adiantum pluuia non
madescit. Aquæ non miscetur
oleum, nec vinum quanquam
vinum melius aqua. Ideo succi
quicunq;, aut condita vina, si
cooperiantur oleo affuso non
expirant nec dissipantur. Ca-
thartica pharmaca certos ex hu-
mano corpore educunt humo-
res. Alexiteria & Alexipharmaca
extrahunt & discutiunt venena.
Bilem flauam ducunt Rhabar-
barum

barum, Scammonium, Centaurium maius, Aloë, Myrobalanicitrini. Humorem Melancholicum Veratrum nigrum, Sena, Cyanus lapis: Pituitam, Agaricum, Turpetum, cuius plura & diuersa genera, Tithymalli omnes, Euphorbium, Sagapenum, Chamelæa, Thymalæa, Colocynthis, Elaterium, & similia alia. Cordi grata sunt & amica, Corallia, Margarithæ & è gemmarum genere Saphyri, Hiacynthi, Smaragdi, Carbunculi, aurum, aromatica omnia & odorata: Cerebrum amat Saluiam, Betonicam, Stœchadem Arabicam, Acorum: Oculorum aciem acuunt Fœniculum, Ruta, Euphrosyne, Verbena: Pulmo-
nes

nes vulpis & Eritij humanis pul-
monibus auxiliantur. Iecur &
delectatur intybacei generis plā-
tis, ac præter has Eupatorio, Spi-
canardi, absinthio, ut lien Cap-
paribus, myrica, aspleno, & re-
creatur ac roboratur vuis passis,
Epate lupino, Cochlearum car-
nibus. Ventriculo mentha, ab-
sinthium, Xyloaloë, Mastiche
familiaria sunt & accepta. Pul-
mones lepus marinus: Renes ex-
ulcerant cantharides, & erucae
pinorum, Buprestis, Salaman-
dra. Sturni cicutam innoxie de-
uorant, Coturnices veratrum.
Anates pascuntur bufonibus a-
quaticis: Iisdem & serpentibus
Ciconiæ: Gallinæ Scorpionibus
& araneis. Rursus Cicuta, bufo-
nes,

nes, serpentes, Scorpij homini-
bus venenum sunt: Carnes Stur-
norum, anatum & Gallinarum
alimentum. Sed & Luscinij a-
ranæ sunt medicina. Canthari-
des rabioforum canum morfi-
bus: Vulneri à seipsis facto Scor-
pius, Pastinaca marina & vipera,
medentur. Alyssum, pimpinel-
la, Cancri fluuiatiles morsui ra-
bidi canis opem ferunt.

Venena arcent à corde, & è
corpore exigunt, Bolus Arme-
nus, Lemnia *σφραγις*, Smaragdus,
lapis Bezaar, sic vocatus ab Ara-
bibus *κατ' ἐξοχλῶ*, quod sit amule-
tum & antidotus efficacissimè
omnia venena elidens, ossa in
corde cerui nata, cornu ceruinū,
cornu Monocerotis & alia. Epi-
lepsi-

Iepſiam proſſigant grana & ra-
dices Pœoniae, Smaragdus, viſ-
cum quercinum, Iaspis viridis è
collo ſuſpenſus.

Sed deſino congerere exem-
pla è reliqua natura petita. Non
procul vagemur animis, ſed ex-
cutiamus noſmetipſos. Quid
admirabilius eſt Sympathia &
Antipathia Cordis et Cerebri, fa-
cultatis cognoſcentis et appeten-
tis, τὸ λογικὸν καὶ θυμοειδὲς in homi-
ne, mentis rationisq; & affectu-
um, aut horum & phantaſiæ, &
multo magis τὸ λογικὸν καὶ ἐπιθυμη-
τικὸν, id eſt, rationis & appetitio-
num, quæ homini cum brutis
communes, ratione omni ca-
rent, nec iuſſa aut imperia men-
tis audiunt, & longo interuallo,
C toti-

totius nimirum thoracis inter-
stitio disiunguntur ab intelligen-
tia sede? Deniq; quid admirabi-
lius ipsis animæ Sympathijs &
Antipathijs? celerrimo peneque
momentaneo vibratu spirituum
cor pulsatum à cognoscente fa-
cultate variè afficitur, & omni
genere cupiditatum incitatur.
Lætatur, perturbatur, moeret, an-
gitur, stupet, trepidat, excande-
scit, cedit & obtemperat rationi,
aut aduersatur & repugnat: &
quo rapitur effrenata atq; indo-
mita cupiditas, eò impellit &
cogit hominem, frustra recla-
mante ratione. Sæpe enim cæca
illa ac temeraria dominatrix a-
nimi cupiditas, incensa ambiti-
one, auaritia, cõtendendi studio,
odio,

odio, iracundia, fertur extra me-
tas, excussoq; imperio supremo,
ad sese explendam viribus cor-
poris abutitur, & frustra coher-
cetur. Altera verò bruta prorsus,
& rationis expers appetitionum
sedes, quanquam naturæ instin-
ctu & commotione sese effert ac
promit, procul à mente remo-
ta: illecebris tamē & incitamen-
tis à sensu et phantasia profectis,
irritatur & stimulatur, aliturq;
& acuitur cogitatione desideri-
um. Hæc fieri discimus exem-
plis quotidianis, etsi penitiores
causas neutiq; introspicimus, ad
quarum fundamenta priusquã
accedimus, fateamur quod res
est, sapientiæ diuinæ thesauros
in rerum natura ampliores esse

C 2 &

11
& abstrusiores, quàm ut viribus
humani ingenij, tot modis de-
bilitati explorari, multo minus
ut erui & exhauriri possint.

Queritur Socrates apud Pla-
tonem se ex Physicis hoc conse-
cutum esse, ut dubitare cœperit,
de ijs quæ pro certis habuerit.
Et reuera de multis plane τυφλὰς
δόξας tenemus. Agnoscamus igi-
tur & amplitudinem atque im-
mensitatem sapientiæ diuinæ,
et angustias intelligentiæ nostræ,
ijsq; quæ utcunq; pernosci pos-
sunt & explicari, acquiescentes,
neutiquam aut stolido & in De-
um contumelioso errore, nihil
esse peruestigabile somniemus,
aut vano temerarioque conatu
quiduis audeamus & aggredia-
mur,

mur, aut cæca & inani persuasi-
one blandiamur inuentis no-
stris, quasi consecuta sint id,
quod inuestigatur, aut assuma-
mus etiam ad rationes detexen-
das ac tuendas nostras falsa, ab-
surda, aliena à vero, & iam olim
gravi iudicio è Scholis explosa,
quales sunt Atomii Democriti
& Epicuri, sed innixi vestigijs &
argumentis veræ Philosophiæ,
reuocemus ad causas ea, quorū
causas comprehendere ac mōstra-
ri tales posse iudicamus, quæ &
res obscuras utcunq; illustrant,
& quærenti veritatem satisfaci-
unt. Interiora ac recondita at-
tingamus ac tractemus verecun-
dè. Nec pusilli, abiecti, angusti,
ignavi ingenij esse ducamus ali-

qua ignorare, aut ita de eis differere, ut Dei sapientiam, vimque omnem ac potestatem anteferamus contemplationi ac perspicientiae nostrae, quae saepe impingit, labitur, errat, haesitat, saepe prorsus insistit ac deficit. Fugiamus arrogantiam, aut profitemem maiora viribus, aut ostentantem etiam ac iactantem inventiones rationesque, vanitatis aut futilitatis non expertes. Ac gloriosius esse ducamus ad abdita abstrusaque in natura confugere, ubi se nihil ἀξιόλογον offert, quam pro veris falsa, pro explicatis inuoluta & non cohærentia, pro firmis lubrica, pro solidis ieiuna, frigida, futilia, comminisci & obtrudere.

Cur

Cur ringimur, aut cur labo-
ramus anxie ut monstremus
causam, quare in Septentrio-
nem se conuertat Magnes, aut
quare inter se dissideant brassica
& vitis, cum reddi ratio neque-
at alia, calido cur frigidum ad-
uersetur, nisi quia natura ita
condita est?

Sunt inter ea quæ comme-
morauimus plurima, quæ redu-
ci ad causas in concretione cor-
porum positas, & illustrari rati-
onibus perspicuis possunt. Sunt
contra non pauciora alia, quæ
ex effectionibus animaduersa,
causis ipsis captum mentis hu-
manæ excedunt & effugiunt.

Veniemus igitur ad causas.
Sympathiam omnem & Anti-
C 4 pathi-

pathiam nasci ac proficisci vel
" ex ordine nexuque corporum &
" inter se continente cohæsione,
" vel ex cognatione ac familiari-
" tate ipsarum naturarum aut ea-
" rundem dissimilitudine ac re-
" pugnantia plane videtur esse
consentaneum rationi.

Elementorū inter se amicitia
inimicitieq; & cōtentiones, sicut
eas nominavit Empedocles, cō-
spiciuæ sunt & in sensus incur-
runt. Ex his mixta conflantur,
prius diffractis ipsis in partes te-
nuissimas atq; comminutis, &
certa mensura iunctis inter se
subactisq; & coaptatis, concreti-
onem illam tamen omnem cœ-
lo moderante ac temperante, &
certum quasi demensum sui lu-
minis

minis ad nexum illum firman-
dum continendumq; affunden-
te, quem diximus esse æthereum
ac lucidum spiritum, in corpo-
ribus compositis quidem terre-
næ molis opacitate obscuratum,
sed perpetuo tamen, donec sunt
corpora illa cohærentem ac fla-
grantem. Ita autē ex accessu lu-
minis cœlestis coalitus elemēto-
tum perficitur & absoluitur, ut
iuxta leges generationis seu pro-
pagationis rerum institutas à
Deo architecto in creatione, seu
ex vi ac facultate secundum has
leges rebus omnibus insita pro-
creentur corpora composita, cū
pro mensura elementorum atq;
eorundem concretione inter se
diuersa, tum certis exornata ac

C 5 distin-

distincta formis in una cōmu-
ni materia ceu subiecto, & viri-
bus instructa peculiaribus, quas
confectas ex temperamento di-
uerso ætherei luminis cum ele-
mentaribus qualitatib. & con-
cretionis etiam modo variatas
cient & exercent formæ, actio-
num mirandarum opifices, ceu
ope & ministerio illius tempe-
ramenti, cui ut toti mixto, haud
dubiè iungitur alia vis maior ex
cœlesti luce. Inde est illa tanta
varietas non tantum rerum ac
specierum dissimilium, quas
Deus initio condidit ac discre-
uit, sed & mensuræ atq; concre-
tionis elementorum in corpori-
bus mixtis: quod opaca sunt a-
lia & obscura, alia perspicua, &
quidē perspicuitatis multiplici
discr-

discrimine: quod alia rara sunt,
tenuia, mollia, leuia, friabilia,
porosa, sed variata pororū for-
ma, magnitudine, positu ductu-
que in rectum, transuersum, ob-
liquū: Alia vero sunt densa, cras-
sa, dura, aspera, viscida, solida.

Hinc est illa saporum odo-
rumq; & virium ac facultatum
admirandarum effectionūq; di-
uersitas ac discrepantia, in duas
classes distinctas separata, è quib.
omnis sympathias & antipathi-
as seu cōsensionis dissensionisq;
scaturit ac promanat ratio. Sym-
pathiam et cōgruentiam cogna-
tione & similitudine: Antipa-
thiam & discordiam efficiente
dissimilitudine naturarum &
virium aduersantium sibi inter
se repugnantia. Qua-

Qualitatū alię principes sunt,
alię ex ijs ortę. Principes sunt u-
niusmodi & simplices. Ex his
autem varię ortę sunt, & quasi
multiformes, sed duobus com-
prehēdi generibus possunt, vno
evidentium, altero occultarum.
Quin & evidentes perspicuitatis
causa licebit, in duo diducere ac
secernere genera, Vnum com-
mune, alterum proprium.

Principes à caloris, frigoris,
siccitatis & humiditatis sensu
distinguuntur, & quanquam
sunt simplices, gradibus tamen
distant quàm maximè, & acu-
untur aut obtunduntur condi-
tione subiecti. Non est enim in
omni mixto idem gradus calo-
ris, & idem calor ex tenui subie-
cto

cto, celeres quidem acres & fer-
uidas, sed citò euanescentes, ex
denso solidoq; tardiores, sed va-
lidas ac pertinaces infert uftio-
nes.

Ex eadem principum quali-
tatũ temperatione in tenui aut
crasso subiecto, emergit euiden-
tium seu v̄rium seu qualitatum
utrumque genus tam proprium
quàm commune: Illo eas com-
plectimur vires, quas in medica-
mentis cephalicas, cardiacas, sto-
machicas, epaticas, spleneticas,
hystericas vocamus: Hoc reli-
quas remediorum attenuanti-
um, incidentiũ, detergentium,
aperientium, digerentium & si-
milium. Vtrorumq; originem
temperamenti ratio moderati-
oq;ue

oq; considerata docet. Sed proprias iam imbuunt aliqua cognatione formarum spiritus æthereus. Hoc à communibus seiunguntur: cum occultis communicant: quæ ut cognatione, sic exortu, formis proximæ sunt: propagatæ quidem ex temperatione opaci, terrei, & sicci cum perspicuo aëreo & aqueo efficacia caloris: sed perfusæ tamen vi excellentiore ac diuiniore, cuius in mixtione non spectantur vestigia. Ideo cum formis quibus associantur, extra sensus humanos positæ, nullo horum percipi in suo subiecto deprehendive possunt, sed ab effectis cognoscuntur una observatione & experientia, quæ usu longo, et multa

ta

ta exercitatione constat. Harum
inter se virium, ceu praesidio &
ope, amicitias exercent et inimi-
citas rerum naturæ: his allici-
unt ad sese, & quasi manibus ra-
piunt cognata, aduersa repellunt.
His aut cōplectuntur ac fouent,
aut infestant ac perimunt sese
mutuo: quædam propinquo
tantum contactu, nonnulla fo-
mite, aliqua ex interuallis. Neq;
id faciunt si intercedat distantia,
vibratu traiectione Atomorum
ad cognatas res, aut eorundem
obuiantium inter se concursu
ac recurso, etsi ἀπορροιας & deflu-
xiones halituum perpetuas ab
ijs corporibus, quæ nutriuntur
non inficiamur, sed diffusa con-
tinente medij alteratione vis,
vbi

ubi pertingit ad rem similem
aut contrariam, vim similem
quidem, sed latentem suscitatur:
contrariam oppugnat [aut de-
struit: Aut aliter etiam afficit
pro naturarum & virium ratio-
ne atque conditione. Nam ut
Sympathia sese aut Antipathia
exerit inter res differentes, ana-
logia ut intercedat necesse est ex
facultate agentis, aptitudine pa-
tientis, & applicatione, quæ rur-
sus & medium conueniens, &
oportunum situm, & contactū
seu materiale seu spirituale &
adminicula organorū requirit.

Sed & inter ipsas qualitates
diuersas plurimum interest, &
occultarum quàm euentium
longè acrior ac penetrantior vis
est

est, seu formalē illam nomine-
mus, seu spirituales, quam eui-
dentium, quæ materiæ propior
est ac similior. Idcirco & in his
ratio euidentiōr est, in illis ob-
scurior.

Cur oleum aquæ non com-
misceatur minus est obscurum.
Unctuosa enim pertinaci lentore
cohærent, porosque aut raros
aut pinguedine oblitos habent,
nec in partes minimas facilè cō-
minuuntur. Quare non admit-
tunt facilè alieni generis liquo-
res intra sese. Butyrum tamen,
quod & ipsum unctuosum est,
feruorem sacchari restinguit &
cōpescit. Auget enim lentorem
sacchari rarefacti, & extendi in
ampullas à copia agitatorum vi
caloris halituum partes attenua-

D tas

tas ac diuulsas tam subito prohi-
bet. Sinapi cutem si imponatur
exulcerat: si comedatur, linguam
faucesq; & ventriculum non ex-
ulcerat. Nam & internus calor
fortior tenuem sinapis substan-
tiam cito dissipat, & humiditas
linguæ & stomachi calorē eius-
dem atq; acrimoniam obtūdit.
Adiantum non madefit, quod
superficies sicciore aquam lento-
ris expertem adherescere non pa-
titur. Calx viua contra, quæ est
sicciore, aquam haurit et combi-
bit auidissimè, & dissoluitur at-
que incalescit, aqua scilicet laxa-
tos uestione poros cōfertim sub-
eunte, & diuellite connexum
eliso simul ex igneis partibus ca-
lore, quem κατ' ἀντιπρῆξιαν velut
contractum in angustum con-
clu-

clusumq; adauget, unde & incal-
lescit ipsa vicissim, & in fumum
cum iisdem partibus magna sui
parte euolat.

Hęc intelligi possunt, sed mi-
nus explicata est ratio aut inimi-
citiæ inter brassicam & rutam:
Neq; enim calore tantum dissi-
dent: Idem enim similibus infi-
nitis accideret: aut Antipathias
inter Adamantem & sanguinẽ
hircinũ. Nam ut demus situm
esse pororum in Adamante san-
guini analogum, qua vi, si pene-
trarit, eum quasi eliquat? Ac
multo minus apparet ratio cur
Taurus ferocire desinat ad ficũ
reuinctus, aut Galli cantu terrea-
tur Leo, aut aquilarũ pennis præ-
da fiant ac pabulum aliarũ auiũ
pennæ, & similia innumera.

D 2 Faten-

Fatentur eruditi omnes familiaritate substantiæ & pharmaca cathartica cognatū humorem : Antidota et alexiteria verò trahere venena : sed si demonstranda sit substantiarum similitudo, aut si effingenda saltem vel adumbranda ea sit exemplis, hæret intellectus & destituitur argumentis. Sic cur Salvia cerebro, Buglossum cordi, Eupatorium epati, Scolopendrum lieni amicum sit & gratum, etsi aliqua ostendi ex temperamēto ratio potest, plane tamē & liquido doceri non potest, sed decurri oportet eò, quod plantis vires tales Deus indiderit.

Cedamus ergo naturæ rerū, cum expugnari eam acumine solertiaq; & sagacitate humani
inge-

ingenij non posse cernamus, &
vinci nos superariq; excellentia
operum diuinorum fateamur.
Veneremur cū admiratione hæc
sapientiæ & maiestatis diuinæ
testimonia ad usum hominum
expressa, ut et de Deo doceant &
vitæ hominum profint. Idcirco
Deum effectorem mūdi ac mo-
deratorem grati celebremus, &
veris aut vero cōsentaneis sentē-
tijijs rectè utamur, & conseruare
eas atq; illustrare, nō conuellere
aut deprauare studeamus.

Ostendi fontes Sympathiæ
& Antipathiæ rerum, quos qui
penitus introspexerit, deriuari
inde atq; profluere omnem ad-
mirandę illius varietatis rationē
in natura rerum passim obuiæ
facile perspiciet. Nec iudicia mi-

hi obstant eorum, qui cœli vim
à terrenis excludunt, aut peti è
cœlo rationem terrenorum de-
bere negant, quod miserè fluctu-
antisq; & huc illuc temerè iacta-
tæ inscitiae ultimum sit perfugi-
um cœlum, cœloq; deducta vis
occulta. Malo .n. & hanc fateri,
ut dixi, & quod ante oculos est,
sensuq; uniuscuiusq; euincitur
de cœli effectiōib: non inficiari,
q̄ assentiri ieiunis et frigidis, sepe
etiam ridiculis rationibus aut
absurdis. Quare amplector illa
tanq̄ exploratè vera, & Deo pro
eis gratias ago, & ne implicentur
inuolucris, aut obruantur im-
posturis præstigiaticis sophisti-
cæ precor.

Te igitur fili Dei oro, ut au-
geas in nobis & lucem agnitio-
nis

nis tuæ veræ, & initia huius tuæ
sapientiæ. Tu fons es omnis sa-
pientiæ, qui es æterna patris sapi-
entia, qui vt *δευτερευόος* patris &
λόγος eiusdē dixisti decretū de or-
dine creationis & reparationis
hominum: creasti enim res uni-
uersas ex nihilo, et edidisti legem
& euangelium. Tu ut apud So-
lomonem testaris, ludis coram
Deo omni tempore, ludis in or-
be terræ, & delectationes tuæ cū
filijs hominū: Lætificas patrem,
& eundē nobis ostendis, & glo-
rificas in mirando ordine opifi-
cij mundi, et in alijs extra rerum
ordinem miraculis, in assumpti-
one naturæ humanæ & resurre-
ctione, in reparatione generis hu-
mani, & totius Ecclesiæ, conser-
uatione in diluuiio, in mari ru-

D 4 bro,

bro, inter atroces persecutiones.
Tu doces Ecclesiam foris mini-
sterio Euangelij, et intus accensis
cordibus. Lætariis viuificatione
et restitutione Ecclesie. Te guber-
nante iusta fiunt in politijs, et sa-
pientia gubernatorum est felix,
efficax, salutaris, & lætos adfert
exitus. Tu initia sapientie ho-
minum generi impertis. Hæc er-
go ut augeas, & in illa eternitate,
quando te coram intuebimur,
& audiemus admirandi & arca-
ni consilij de creatione ac repa-
ratione generis humani causas
explicantem, ut compleas atq;
consummes toto precor pecto-
re. Amen.

D I X I.

Quæstio.

QVÆSTIO.

Restantissime Domine
Doct̃or renunciate, amice
paterne, de quibus more re-
cepto quæstionem tibi pro-
ponere debeo, ea ita vt didici & pote-
ro recitabo. Memini autem te nuper
in disputatione publica de eo morbo,
qui ex splene in tibias et os redūdat,
respondisse, & quia de oris affectione
disputasti, hac occasione de proxima
parte, naso scilicet & narium vsu,
mouebo aliquid, quod tua doctrina
& eruditio auditoribus explicet. Scri-
bit Aristoteles in primo historiae ani-
malium, nasum esse spirationis mea-
tum, πνεύματος ὄργανον, & fieri non
posse, vt spiritus ducatur aut red-
datur sine naribus, id est, vt ipse loqui-
tur ἀδύνατον εἶναι χωρὶς τοῖς μυκτέροις
ἀναπνεῦσαι ἢ ἐκπνεῦσαι, hoc igitur quale
sit & quomodo, quauē sententia dixe-

rit Aristoteles explicari quærimus. si enim hoc tantum dicitur quod verba sonant; ita hoc absurdum fuerit, ut in talem virum talem sententiam cadere non sit consentaneum: cum multi non habeant nares perspirabiles, atque ita hoc usu narium careant, & non tantum per nares sed etiam per os spiritum duci unusquisque in se experiatur: & diserte hoc scribit idem Aristoteles in libello de inspiratione & respiratione: (ἀναπνεῖ δὲ τὰ φανερώς ἀναπνεύοντα διὰ τῆς ἀσθησίας διὰ τὸ σῶμα τοῦ ἄμα καὶ τῶν μυκτῆρων) neque ignorare solus ipse potuit quod omnes sciunt & experiuntur. In eodem libello etiam de duplici usu narium significat, sicut & in libro de anima. Ut autem quasi iter aperiatur explanationi tuæ, populariter hæc pars in facie describenda est. Habet igitur nasus meatus duplices, vel etiam triplices: primum

mum manifestos narium duarum, in-
tus autem & qui foris non apparent,
duplices & distinctos. Statim enim
post initium narium meatus duo sunt
transuersi, qui ad fauces vsque perti-
nent: & præter hos duo recti per
directum nasum frontem versus, vsq[ue]
ad eum locum qui græce ἰσθμὸς nomi-
natur, qua parte nasus cum fronte
coniungitur. per illos autem transuer-
sos ducitur spiritus is qui cordi adue-
hitur, quorum meatuum beneficio
hoc præstatur vt cōniuentibus labris,
& ore clauso, tamen spiratio fieri
possit, cum os semper hiare ad spiri-
tum ducendum & deforme sit & in-
commodum, sicut in ijs apparet qui-
bus hi transuersi meatus obturati
sunt, vt os sermonis potius officinam
& cibi potusque, quàm aëris du-
cendi meatum esse natura voluerit,
cum quidem spirari etiam per hoc sed
inter

inter edendum tamen nequaquam
commode possit. Atque hoc modo na-
tura duas vias spirationi prouidit ad
obturationis periculum, & casus om-
nes quibus copioso aëre inspirato o-
pus est, narium tamen quasi ordina-
riam quandam, & oris extraordina-
riam, cum nullum sit opus naturæ, ut
sæpe scribit Aristoteles superuacane-
um. Recti vero narium meatus non
ad pulmones, sed in caput et cerebrum
tàm simplicem aërem ad certum v-
sum, quàm odoratus halitus perue-
hant, sed qui per transversas vias ve-
hitur, à pulmonibus attrahitur, sicut
qui per rectas, à cerebro, siue motus
huius est aliquis siue nullus. Fit autē
hoc diuortium aëris statim sub nasi
initium, ubi transversus & rectus me-
tus concurrunt. Per rectos autem na-
rium meatus, non tantum attrahitur,
sed redditur etiam spiritus, & confer-
tim

tim quidem in sternutatione, est enim
hæc spiritus in cerebro alieni cum im-
petu elisio, quæ fit cum virtus cere-
bro innata expellit id quo premitur,
ideo epilepsie breui simile m d cunt.
His igitur ita præmissis quero hoc,
an Aristotelica quibus dicitur, sine
naribus non posse spirationem fieri,
de commoda spiratione sit interpre-
tanda, & ut ita dicam ordinaria,
cui in naribus transuersæ illæ viæ à
natura destinatæ sunt, non os, ut di-
ctum est, hoc autem posse dicimur quod
commode possumus, cum stertentibus
etiam sit grauis spiratio quæ per os
fit. Manifestum autem Aristotelcm
ibi de ea spiratione loqui, quæ per ar-
teriam & in pectus fit, & non de al-
tera quæ per directos meatus narium
in caput fit: addit enim hanc causam
quare non possit sine naribus fieri
inspiratio aut respiratio, quod è pe-
ctore

Etore ea ad fauces fiat, & non è ca-
pitate aut parte aliqua huius. Signifi-
cat igitur hoc, pectoris spirationem
non habere meatus alios ordinarios
quàm narium. quod autem alibi scri-
bit spirationem per nares fieri ἐπι-
πέρας & quasi obiter, id de spiratione
altera, qua per directos meatus in ca-
put aër & odorati halitus attrahun-
tur, accipiendum. dum enim pectori
aër per transversos meatus attrahi-
tur, simul etiam capiti, & olfactus or-
ganis, ille idē aër aduehitur: quod fit
hoc modo ἐπιπέρας, nā altera spiratio
κυσία est & præcipua, sine qua & hæc
in caput & olfactus ἀναπνοή fieri non
potest, & illa in caput spiratione sine
interitu carere potest animal, altera
pectoris & arteriæ, non item: etsi in-
termitti aliquantisper sine periculo
potest, & sicut eodem loco historiæ
scribit Aristoteles, sine ea spiratione

Viii

Vini potest: ἐνδ' ἔχεται δὲ καὶ μὴ χρώματος
ταύτη ῥῶ. Nam cessante etiā aliquan-
tis per spiratione, corpus tamen sine
aëre non est: cum & toto corpore per
extremos poros huius, non tantum o-
re accipiatur, & pulmones semper
plus aëris attrahant quàm in præsen-
tia opus est, neque reddant omnem
quem attraxerunt, quod autem in pe-
netralibus horum quasi in penu asser-
uatur, necessitati seruit, ut cum spiri-
tus continendus est, aut ab externis
vel internis causis anima intercludi-
tur, sicut in urinationibus, aut cum
corpus laborat, ut in hystericis aut si-
deratis: Ita igitur intermissionem spi-
rationis ferre natura potest, sed ex-
clusionem nequaquam: cum spiritus
à vita separari aut diuelli nequeat, si-
cut neque vita à spiritu, ut Galenus
scribit: & viventem omnino spirare,
& spirantem omnino viuere oporteat.

Itaq̄

Itaq; hoc etiam alibi scribit Aristoteles, animalia exclusa spiratione mori, Quia tamen & nimis breuiter, & si verum dicendum est, incuriosius vel etiam inexplicatius de his & alijs scribit Aristoteles, explica nobis rem ex Galeno tuo, D. Doctor renunciate, qui de officio & vsu partium corporis multò docuit melius quàm Aristoteles, siue Aristoteli siue Epicureis illos libros suos opposuerit.

VV I T E B E R G Æ

Iohan. Schvvertel excudebat.

Anno M. D. LXXIIII.

F.

Fl 2450

ULB Halle


3


003 140 27X



IA → 70L

MA





ORATIO
DE SYMPATHIA
ET ANTIPATHIA
rerum in natura.

RECITATA A VIRO
RO CLARISS: DOCTO-
RE CASPARO PEVCE-
RO Decano ac Promotore, cum
decerneretur gradus Doctoris
in arte Medica viris
eximijs:

M. SALOMONI ALBERTO
NORIBERGENSE.

M. IOHANNI LEHMAN
ILEBERGENSE.

HIERONYMO DRACHSTET
HALLENSI.

M. CASPARO CONNER-
DINGO.

M. GREGORIO HEILAND
CICENSI.

WITEBERGAE 1574.

